

et deinde Illustrissimus Princeps Stephanus Dabissa, dictorum Rasciae, Bosnae et Maritimae Rex, post scilicet mortem dicti Regis Stephani Tuarko, praedictas libertates, gratias et privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines, ac potestatem electionis dictorum Comitum per suas patentes litteras ratificaverit et acceptaverit; postmodum vero Vir Magnus Hervoja, summus Vojvoda Bosnensis, noster in Regno nostro Hungariae, et aliis Regnis sibi annexis, Vicarius generalis, jam dicta omnia per suas litteras confirmaverit; postremoque Vir Magnus Aloysius de Aldemarisco de Neapoli, Miles Regni nostri Siciliae, Marecialus ac Capitaneus Galarum nostrarum, nosterque in dictis Regnis Vicarius generalis, praedicta omnia et singula per evidentes litteras acceptaverit et duxerit confirmanda; — Propterea ad majorem cautelam dignemur praefatas gratias, libertates, privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines ac litteras praedictas, exinde subsecutas, et potestatem, et electiones Comitum praedictorum per nostras litteras patentes confirmare. Nos autem devotis supplicationibus praedictorum praefatas gratias, libertates, privilegia, Statuta, Reformationes et Consuetudines eisdem, Communitati et hominibus praefatae Insulae Brachiae, ut praedicatur, factas, et facta, ac etiam confirmatas, et potestatem etiam electionis dictorum Comitum, qui sunt utique fideles nostri, cum confirmatione tamen nostra, juxta praedictarum omnium litterarum tenorem et continentias, harum seriarum, de certa nostra sententia, ac cum consensu praedictorum.... Magnatum et Baronum dicti Regni nostri Hungariae, nobis adstantium, confirmamus, ratificamus et approbamus, nostroque confirmationis, ratificationis et approbationis munimine roboramus, itaque quod nullum diminutionis vel infractus incomodum pertimescant. In cujus rei testimonium praesentes Litteras exinde fieri et magno nostro pendenti sigillo jussimus communiri. Datum Jadrae per Antonium de Poma, Secretarium familiarem et fidelem nostrum dilectum. Anno Domini 1403. die 14. Mensis Augusti, Indictione 11., Regnorum nostrorum Anno 17.

(L. S. N.)

Nicolò Wragnizan, Nodario Publico, ha fatto copiare da fida mano d'altra simile, esibita mi dal Sig. Don Andrea Cicarelli, sottoscritto e sigillato.

Cicarelli Andrea. Osservazioni sull' Isola della Brazza. Venezia 1802, p. 129.